



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

V. Vt episcopus ad suam personam, ad Concilium non diaconum, sed aut archipresbyterum, aut presbyterum dirigat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

tem metropolitani, atque informationis eius epistolam, per regiam iussionem, ab alio metropolitano aliqui fuerint ordinati; tempore quo ad metropolitanum suum post suam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere. Quod si distulerint, tamdiu quisquis ille excommunicatum esse se nouerit, quamdiu impleat ordinem bonæ institutionis.

## V.

o Iuxta canonicum ordinem, tempore quo Concilium<sup>s</sup> per metropolitani voluntatem & regiam iussionē electum fuerit agere, omnes confinitimos episcopos in vnum oportet adesse; nec pro tali re quælibet causa opponi debet ad excusationem. Quod si contigerit aliquem de fratribus<sup>h</sup> retineri ab infirmitate, qualiter non possit venire, aut per regiam iussionem iniunctum acceperit aliquid agere, vt sit per quod non possit Concilio interesse; quidquid tale acciderit, metropolitano suo fideliter intimet cuncta per suam epistolam manu sua subscriptam, vt postmodum quæatur, an excusationem faciat aliquam. Ad suam tamen personam non aliter nisi aut si archipresbyterū suum diriget, aut, si archipresbytero impossibilitas fuerit, presbyterum utilem, cuius dignitas cum prudentia pateat, a tergo episcoporum inter presbyteros federe, & quæque in eo Concilio fuerint acta scire, & subscribere. Iniustum enim hoc accipit cœtus noster, vt quisquam episcoporum<sup>i</sup> diaconum ad suam personā dirigat. Hic enim quia presbyteris iunior esse videtur, sedere cum episcopis in Cōcilio nulla ratione



permittitur. Quemcumque ergo ex presbyteris dirigere elegerit, instructum per informationem dirigat, vt ratio poscit; atque cum eo mandatarium suum, iuxta legis ordinem munitum: vt si a quolibet contra eundem episcopum in Concilio fuerit suggestum, ab eo quem dixerit, qui petit accipiat responsum; & iustitia quæ fuerit ordinata nullam postmodum dilationem habeat.

## VI.

Deo credimus esse placitum, quando pro bono opere dignam in ecclesia sancta imponimus regulam. Ideoque placuit fraternitati nostræ, vt sicut primatus reuerentiæ a metropolitano episcopo iubetur impendi per synodicam regulã, ita & a comprouincialibus suis seruentur hæc monita. Comuni deliberatione censemus, & sententiæ huius ordinem seruandum instituimus; vt dum quisquam comprouincialis episcopus metropolitani sui admonitionem acceperit<sup>k</sup> pro diebus festis natiuitatis Domini & paschæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excusationem. Quod si contigerit eum ab ægritudine esse detentum, vel per nimiam intemperantiam aerum non habere qualiter ad præsentiam eius possit venire, epistolam manu sua subscriptam dirigere debet, in qua huius rei verissime causam notescat. Quod si sanus, qui admonitionem acceperit, fuerit, & venire distulerit, absque excommunicatione dimittendus non erit.

Sic statutum  
est Conc.  
Tolet. XIII.  
cap. 8.

## VII.

Decretum est de priscis canonibus, semel in anno fieri Concilium, vbi elegerit metropolitanus